

4°

P. lat. rec.

957

*Boek 217*      GRATVLATIO      1570  
**AD ILLVSTRIS-**  
**SIMVM ET REVE-**  
**RENDISSLIMVM PA-**  
TREM AC DOMINVM, D. PETRVM  
TILICKI, EX PRÆMISLIENS ET WAR-  
miensi Ladislauensem seu Pomeranie Episco-  
pum nuper inauguratū, Regniq; Po-  
loniae Vicecancellari-  
um, &c.

*In bibliotheca. 1570. Ex officina Ederiana.*  
**HONORIS ET DEBLI-**  
**TÆ OBSERVANTIAE ERGO**  
SCRIPTA A NOBILI IOANNE KRZE-  
cki, cliente eius obseruan-  
tissimo.




**INGOLSTADII**  
Ex Officina Typographica Ederiana, apud  
ANDREAM ANGERMARIVM.

ANNO M. DCIV.

14x





IN INSIGNIA ILL<sup>mi.</sup> ET  
R<sup>mi.</sup> PATRIS AC DO-  
MINI, D. PETRI TI-  
LICKI, &c.

**V**NGULA quadrupedis generosi ferrea quid-  
nam

Denotat? an quam sit mens generosa  
Petro?

Vngula quadrupedis generosi ferrea terram

Calcat: at hoc ipsum mens tua, Petre, facit.

Ferrea quadrupedis sub se premit vngula terram;

At ferrum versa non vice terra premit:

Mens tua sic vilem sub se premit inclita terram;

At mentem versa non vice terra premit.

Cedit humus duro calci, non cedit humo calx;

Cedit humus menti, mens neq; cedit humo.

## ALIVD.



MNIA cui summa, & duri cui meta laboris;  
Venisti ad calcem, Romula lingua re-  
fert.

Ad summum scandit tua virtus: casside clamat  
Quis stat in aurata calx resupinus equi.

## ALIVD.



Æc nisi fallor erat Phabæi in vertice mon-  
tis

Vngula, Pierias qua referauit aquas.  
Nunc sibi post habitus spacia hac Aganippidos undis  
Optauit sacri præsulis in titulis.

Hic se Gorgoneo iurat cum præpete iungi,  
Cum Phabo Aonias sentit adesse Deas.

Et licet æthereas iam Pegasus incolat orbes,  
Vngula præ titulis astra relinquit equo.

Nam si cum Domino tolli super astra liceret,  
Ipsa Medusæo celsius iret equo.

ALI-

## ALIVD.

**M**ILITIAE pacisq; decus generose animantum,  
 Dic sonipes, calcem signa feruntne tuum?  
 Quid tibi cum pastore sacro? quid calce do-  
 cemur?

Num spirat Martis praelia pacis amor?  
 Rem verbo dicam. Custos gregis atq; ouium dux  
 More fatigati mole laborat equi.  
 Hinc nisi sit ferrum asq; triplex praecordia circum,  
 Concidet ingenti pondere pressus humi.  
 Nam velut in glacie Chalybis sine munere tutos  
 Non figit gressus, Martis alumnus equus;  
 Sic nec in ambiguo vita certamine Praesul  
 Divino vacuus robore tutus agit.

OS (?) SO

ꝝ



Gratulatio

AD ILLVSTRISSIMVM ET  
REVERENDIS SIMVM PA-  
TREM AC DOMINVM, D. PETRVM TILICKI,  
EX PRÆMISIENSI ET WARMIENSI LADISLAVIEN-  
sem seu Pomeraniae Episcopum nuper inauguratum,  
Regniq; Poloniae Vicecancel-  
larium.

**P**s A lice*r* virtus sibi sit pulcherrima mer-  
ces,

**N**ec supplex aliunde suum mendicet hono-  
**N**ec rudis applausu petat inclarescere vulgi, (rē,  
Externam nec poscat opem, nec laudibus ullis  
Indigeat, contenta suis ditissima gazi,  
Casibus aduersis immobilis atq; secundis,  
Eminus ex alto despectans vertice curas  
Humanæ gentis: nihilominus inclytus vltro  
Virtutem vestigat honor, sequiturq; fugacem  
Vsque adeò, ut templis Tarpeij sepe relictis  
Detulerit populi fasces cultoribus agri,  
Et dictatores mediis retocarit ab aruis,

Pone

Pone boum iuga qui stiwas & aratratenebant.

Hinc neq; mirabar, mitrâ tibi quando secunda

Fulgenti, geminâq; data dudum antè tiarâ,

Tertia mitra data est, & tertia, Petre, tiara.

Vidit & inuidit sancte tibi Warmia pridem

Pontificem, quo gaudebas, Pomerania Petrum,

Et dignos prisco Saturni tempore mores.

Hinc precibus supplex Diuos, hominesq; fatigat

Noctes atque dies, viduat & præsule Petrum

Vt sibi Pastorem dignentur cedere, sacras

Vel præter leges Patrum, moresq; receptos;

Optatoq; viro, voti damnata, potitur.

Fama per immensos tractus delata viarum,

A gelido Borea, Septemq; profecta trione,

Huc ad Boiarici diuertit templa Lycei.

Tandem etiam cum serò meas peruenit ad aures,

Nescio qua subito sensi dulcedine mentem

Mulceri, & calidum præcordia linquere tota

Sanguinis humorem leti, cunctosque per artus

Corporis effundi, per que omnia membra meare.

Ilicet ad superos omnes, superumque parentem

Conuersus pro te vota hac offerre parauit.

Diui, Diuorumque pater mitissime, si quid

Vos penes indigni possunt mea verba precantis,

Fortu-

6.  
Fortunate Petro mitram trinamq<sup>z</sup> tiaram,  
Terna secundate h<sup>a</sup>c, & erunt iam terna secunda.  
Quod si nosse libet, de quo mea gaudia fonte  
Manarint, votorum & quae sit origo meorum;  
Simplice sed duplicem memorabo carmine causam.  
Maximus ante alia est, quo te patris instar amore  
Prosequor indignus quantumuis nomine filii;  
Deinde gregem quo, Petre, tui complector ouilis,  
Cuineque tutorem, quo viuat tutior, ullum  
Exoptare velim, quam quo tutore meosque  
Et me iam pridem liquet ire per omnia tutos.  
Ergo age, pasc e gregem summi Pastoris amore,  
Et quos pascendos tibi nuper tradidit agnos.  
Non illi maioris opus sacratur amoris,  
Officium non ille sacrum mage dilitgat ullum,  
Non aliam ipsius, quo nos dilexit, amoris.  
Ille vicem tantit amque exoptabilis optat.  
Namque ubi post ternos soles Acherontis ab oris  
Exitit humanigenoris reparator & auctor,  
Bis senos inter Legatos ordine primum  
Gentilemque tuum (de cuius nomine nomen  
Ducis, & officium compar cum nomine adeptus)  
Sic prior alloquitur, Simon fate sanguine fons,  
Antu prareliquis unus me diligis istis?

Talia

Talia contanti Simon hac pauca modestè  
 Reddidit: ó hominum diuīm<sub>q</sub>, aeterna potestas,  
 Nota rogas, nostri nec te latet ardor amoris.

Agnos ergo meos, inquit, Petre pasce tenellos;  
 A crursum querit: Simon sate sanguine Jona,  
 Anne tibi pectus de nostro flammat amore?

Talia querenti Simon hac pauca modestè  
 Rettulit: ó hominum Diuīm<sub>q</sub>, aeterna potestas,  
 Nota rogas, nostri nec te latet ardor amoris.

Ergo, ait ille, greges ouium Petre pasce mearum.  
 Tertius ille instat: Simon sate sanguine Iona,  
 Anne tibi pectus de nostro flammat amore?

Tertia Simonis pectus quæsitio turbat,  
 Hæc responsa tamen querenti mixta dolore

Reddidit: ó hominum Diuīm<sub>q</sub>, aeterna potestas,  
 Omnia nota tibi, tu nostrum noscias amorem.

Ergo, ait ille, greges ouium Petre pasce mearum.  
 Talia contari toties non ille profectò  
 Institit, ut Petri notum exploraret amorem.

Namq<sub>z</sub> animos hominum qui clausos peruidet, E  
 Omnia persentit, non ignorabat id vnum. (qui  
 Cur ergo instituit rogitate? daturus amicis  
 Hæc documenta suis, sibi nil obtингere posse  
 Gratius aut maius cura gregis indefessa,


Quam Petro cunctisq; simul mandauit amicis,  
 Ut qui maiori Pastorem arderet amore,  
 Maiori & studio Pastoris pasceret agnos,  
 Non alio est studio maiora & præmia quondam  
 Capturus, superas postquam concenderit arces.  
 Qualis lanigeros tibi pascit ouibus agnos,  
 In somnis magna quos armentarius ambit  
 Et cura & studio; ventos solet ille niuales  
 Et pluuias penitus stabulis auertere nimbos:  
 Ille gregem, dum mare nouo vernantia canent,  
 Gramina, deducit campis & pabula monstrat:  
 Ille graues pecori pulsat nidore Chelydros:  
 Si quando ignauos febris depascitur artus,  
 Ille imam ferro calcem ferit: ille laborem  
 Pro charo nullum grege deditur adire:  
 Talem tu caelo veluti mirabere lapsum,  
 Tollere tu caelo reducem conabere talem.  
 Sic sacer antistes, quem crines candida velat  
 Tanta, quique gregem bonus armentarius urget  
 Christicolum, stabulisq; lupos procul arcet ab aliis,  
 Crede mihi, sic ille Deus est dilectus amicus:  
 Imò magis, namque ille gregem olim carius emit,  
 Quando sudata sese rubefecit ab unda,  
 Atque illi crepuit contortis costa lacertis,

Et

Et tandem quadrâ vita illi iacta cupresso est.  
 Qualis Achæmenida qui dudum degit in aulis  
 Et pius & prudens, rotat ille vicaria sceptra,  
 Cum solem Dominus mutat, peregregq; reuisit  
 Et maria & terras, onus illi linquitur ingens,  
 Imperiumque humeris incumbit & anxia cura.  
 Atque ut gemmarum sic cui regnator in arca  
 Continuit radios, & clandestina pyropus  
 Fulmina diuertit, quanam illum pala receptet?  
 Et digno quisnam gemmam annulus orbe recondat?  
 Donec Arabs fuluo pressam defigat in auro,  
 Panchausque uno coëant Indusque monili.  
 Sic sacra quondam tæna redimitur amator  
 Diuinus, quem semper in alto pectore flamma  
 Intus alit, spredoq; solo sub sidera condit.  
 Ergo seruator viuos cum sumeret artus  
 E tumulo, vndenis sic audiit ore locutum  
 E sociis vnum: Tu qui vagasidera lege  
 Frenas, quo crescant, quo tramite queaque recedant,  
 Et Pater & Rector, scisme, meaq; intima nosti:  
 Diligo te, pectusq; tuo mihi flagrat amore.  
 Audiit omnipotens, atque hac edixit amanti,  
 Ut quos morte sua repararat, pasceret agnos.  
 Non urbe ex media, non cedere iuſſit amicum

Turba hominum, seseq; in opaca condere silua,  
 Non stomacho ius<sup>s</sup>it solitam furarier escam,  
 Nec funem nudo tortum deducere tergo,  
 Non seta cingi, non quidquid ubiq; molestum est:  
 Sed ius<sup>s</sup>it, caro reparatos pasceret agnos.

I nunc & magno quid maius Praesule quare.  
 Arboribus quantum properi cessere stolones,  
 Spumanti quantum cessit Neptunus Iaccho,  
 Pastorit tantum cessit tibi turba gregalis.  
 Ergo age, pasce nouum fortunatissime Pastor  
 Petre gregem, speraq; noua noua præmia cura.



EPIGRAM-



## EPIGRAMMATA AD EVNDEM.



*Vm Deus è nihilo pontum terrasq; crea-  
asset,  
Sol unu terra fax fuit atque maris,  
At quoniam oppositas medium diuiserat aquor  
Terras, non poterat lumen utrique dare.  
Propterea certo percurrere debuit orbem,  
Tramite, perq; vices lumen utrique dare.  
Hinc nobis oritur Phæbus quando occidit illis,  
Et quando nobis occidit, his oritur.  
Magna inter celebres gliscit contentio terras,  
Vtraque Pastorem vellet habere Petrum.  
VVarmia deposita, poscit Pomerania Petrum,  
Nec Petrus esse simul Dux utriusque potest,  
Sic tandem à Superis discordia longa dirempta est,  
Ut vice mutata Dux utriusque foret.  
Hactenus accepto gaudebat VVarmia Petro,  
Nunc illo gaudet clara Ladislauia.  
Infelix tali spoliata Antistite turba,  
At felix tali Patre Ladislauia.*

## ALIVD.

**R**EVVS in exiguis interdum verba supersunt;  
Aut grandes nolunt grandia verba se-  
qui.

Experto, Prasul dignissime, crede Poëta:  
Verbis me rerum copia destituit.

In me tanta meamq; domum collata recordor  
Munera, & in tantum se tuus auxit honos;  
Vt si digna tuis meritis tibi dona reposcas,  
Ad te non liceat versibus ire meis.

Nam qua aliis Natura, aliis Fortuna ministrat,  
Saepè Fauor populi, Gratia sape Ducum;  
Hac in te solum Numen posuisse fatendum est,  
Quaq; omnes simul, hec omnia solus habes.

Tetua condecorat grauitas, atque inclita virtus,  
Qua velut in speculo conficienda patet.

Quanta, Sigismnudus, tua sit prudentia, nouit;  
Sestare & Regnum, tesuperante putat.

Sit, precor, officium hoc multis diuturnius annis,  
Cumq; tuo crescat relligionis honor.

ALI-

## ALIVD.


 LIM Pontificem fecit te Warmia tantum,  
 Virtutis quantum tunc tibi nomen erat.  
 Ut virtus aucta est, auxit Pomerania ho-  
 norem,  
 Pontificem te ultro legit & ipsa suum.  
 Si crescent, quoties tua virtus crescit, honores;  
 Ad supera crescent sidera celsa plage.

## ALIVD.


 ARMIA tenuper, nunc te Pomerania Pa-  
 trem,  
 Consilio Patrem Regia semper habet.

Ad maiorem Deigloriam.

IOANNES Krzecki.

.CIVITÀ

मनुष्यानि विद्युत्तमाना विद्युत्तमाना  
विद्युत्तमाना विद्युत्तमाना विद्युत्तमाना  
विद्युत्तमाना विद्युत्तमाना विद्युत्तमाना

.CVILA

*Coryphaea* (L.) Linné  
Coryphaea (L.) Linné

## Biological activities

## LITERATURE AND ART